



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 726. Usque Ad Annum 813

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1760

VD18 90117859

§.47. Libri Carolini.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66091](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66091)

Monachi Cantum Romanum servent ^{Sæcul. VIII.}
 secundum Institutionem Regis Pipi- ^{A.C. 789.}
 ni, quando cantum Gallicanum sustulit,
 ut cum Sacra Sede concordia retine-
 retur.

c. 78.

Alia quoque duo Capitularia ejus-
 dem anni 789. occurrunt, unum com-
 plectens sexdecim articulos, qui ferme
 omnes ad Monachos spectant, alterum
 articulos viginti & unum, quorum me-
 moratu digniores sunt sequentes. Par-
 va puellarum Monasteria, in quibus Regu-
 la non observatur, majoribus jungantur.
 Claustra sint bene firmata, nec eis epi-
 stolas ad procos suos rescribere liceat.
 Baptismus secundum morem Romanum
 conferatur. In diebus Festis vel Domi-
 nicis omnes ad Ecclesiam veniant, & in
 domibus privatis Missa non celebretur.
 Campanæ non baptizentur, nec chartæ
 e perticis pendeant ad avertendum gran-
 dinem. Episcopi, Abbates, Abbatissæ
 non habeant canes, accipitres, mimos,
 nugatores.

p. 241.

p. 243.

c. 3.

c. 7.

c. 18.

c. 15.

§. XLVII.

Libri Carolini.

Cum Hadrianus Papa Carolo Regi Acta
 Synodi Nicenæ misisset examinanda
 & approbanda ab Occidentis Episcopis,
 quibus, utpote ne quidem vocatis, in eo
 Concilio nulla pars fuerat, Episcopi Fran-
 ciæ

Sæcul. VIII.
A. C. 790.

p. 92.

ciæ judicarunt, Græcorum Decreta mori suo esse contraria, quippe Franci Imagines quidem in suis Ecclesiis habebant, sed nullum iis cultum exhibebant. Itaque amplum Tractatum sub Regis nomine scripserunt, in libros quatuor divisum cum longa præfatione, in qua dicebatur: *Ante annos aliquot in Bitbynia celebratum est Concilium, in quo impudentissime rejectæ fuere Imagines, quas veteres ad Ecclesiarum ornamentum, & rerum præteritarum memoriam posuerant; ad imagines enim Græci detorquent, quæ Dominus de Idolis intellecta voluit, dicuntque, se ab Imperatore suo Constantino ab Idololatria fuisse liberatos. In illis etiam Regionibus ante annos ferme tres aliud celebrarunt Concilium, quod in errorem oppositum incidit; nam postquam priori Concilio Anathema dixisset, Christianos ad adorandas imagines compulit. Liqueo patet, quod prius, de quo loquuntur, Concilium sit illud a Constantino Copronymo Constantinopoli anno 754. coactum, & secundum nullum sit aliud, quam sub Constantino & Irene Niceæ in Bithyonia anno 787. celebratum. Unde liquet, hoc Scriptum circa annum septingentesimum nonagesimum fuisse editum.*

Nos vero, additur in Præfatione, sex Concilia universalia recipimus, sed Doctrinam novam contemnimus & damnamus.

mus. *Item rejicimus Concilium illud, quod adorari imagines vult, in Bitbynia habitum, quorum Acta sine Arte bene dicendi & sine sensu scripta, cum ad nostras manus pervenissent, coacti sumus ad ea refutanda calamum stringere, ne quis forte imprudens illa legendo fallatur. Atque hoc opus ex consilio Episcoporum Regni nostri suscepimus.* Nempe Regem Carolum loquentem inducunt.

Sæcul. VIII.
A. C. 790.

In ipso operis corpore hæc mihi notanda visa sunt. Dicunt: *Constat quidem Moysen, Deo jubente, duos Cherubim fecisse; sed non jussit eos adorari. Idem dicendum de Serpente æneo, quem illos, qui sanari cupiebant, conspiceret, non autem adorare oportebat.* Tum ad Textum

Lib. I. c. 15.

Psalmi, ubi dicitur: *adorate scabellum pedum ejus* (id est, ad litteram, Arcam fœderis) confugiunt ad explicationes Mysticas Patrum, qui id de Jesu Christo intelligunt. Textus quoque citabatur ex Actis S. Sylvestri, ubi dicitur, quod Constantino Apostolorum imagines exhibuerit. Respondent, S. Sylvestrum minime jussisse, ut adorarentur, atque etiam horum Actorum Auctoritatem respuunt, & S. Gelasii Decretum objiciunt. Ceterum hujus Tractatus adversus Synodum Nicenam Auctor fatetur, se nec vitam nec Scripta S. Gregorii Nysseni novisse. Synodo Nicenæ succenset, quod

c. 18.

Lib. II. c. 5.

Psal. 98.

Synodus Ni-

cena II. op-

pugnatur.

Sup. lib.

XXX. §. 34.

c. 17.

c. 27.

Imagi-

Sæcul. VIII. Imagines conferat cum Evcharistia, cu-
A. C. 790. jus Dignitatem dilaudat, dicitque, ima-

v. lib. IV. ginibus nullam adhiberi consecrationem,
c. 16. sed quidquid sunt, illud eas a pictore vel

sculptore habere. Ergo hic observan-
 dum, jam illa ætate in Occidente imagi-
 nes opere anaglyptico fuisse conspectas,
 nec morem fuisse, in Occidente æque ac

Lib. II. c. 28. in Oriente imagines benedicere. Auctor
29. 30. respondere quoque conatur ad argumen-

tum a pari de Cruce, de Vasis Sacris, &
 Libris Sacræ Scripturæ. Crucis virtu-

tem deprædicat, sed non distinguit signi-
 ficata vocis ambiguar, Crucis, acceptæ

vel pro passione JESU Christi, vel pro
 Cruce hujusce passionis instrumento, vel

pro ejusdem Crucis materialis imagini-
 bus. Si enim veram Crucem & ejus Imagi-

nes venerari licet, quia Passionis JESU
 Christi memoriam nobis reducant, cur

non liceat Imaginem ipsius JESU Christi
 honore prosequi? idem paucis mutatis

dicendum de vasis Sacris. Semper sunt
 res materiales & manuum hominum ope-

ra, quibus nunquam alius cultus, quam
 relativus competere potest. Istud argu-

mentum admodum infirmum est in libris
 Carolinis; ita enim hoc opus nominare

solemus.

Lib. III. c. 3. Auctor Tractatus aliqua Concilii Ni-
 ceni Patribus exprobrat ad rei Summam
 non pertinentia. Nam inter alia objicit

Tarasio

Tarasio, quod dicat, Spiritum Sanctum
 procedere a Patre per Filium. Ubi re-
 spondet argumento a pari de Imperato-
 rum imaginibus, quæ in Civitatibus &
 Provinciis coluntur, dum populi cum ce-
 reis & odoribus obviam procedunt, di-
 cit, abusum esse, & Idololatriæ necdum
 extinctæ vestigia. Ad argumentum il-
 lud, quod honor imagini exhibitus ad
 Personam honoratam referatur, dicit, &
 fatetur, hanc virorum doctorum men-
 tem esse posse, sed contendit, hanc rem
 rudibus esse occasionem scandali. Inde
 sequitur, omnia salva fore, si rudes bene,
 quid sibi credendum sit, edoceantur.
 Item Auctor Constantino in Cypro Me-
 tropolitæ objicit dixisse: *Recipio & colo
 Sanctas imagines eo modo, quo adoro San-
 ctam Trinitatem, & aliud sentientibus
 Anathema dico.* At hic error est facti
 verisimiliter in perversa versione funda-
 tus; nam in Autographo Græco, & in
 duabus antiquis, quas habemus, versio-
 nibus, Constantinus Cyprensis loquitur
 in hunc modum: *Recipio, & colo San-
 ctas Imagines. At supremum Latræ cul-
 tum soli Trinitati tribuo.* Quæ verba
 sensum priori contrarium reddunt. Et
 nihilominus ob hunc præcipue Artic-
 lum Occidentales Synodum Nicenam
 tantopere averfabantur. Item Auctor
 hic Librorum Carolinorum dicit, ex eo,
 quod

Sæcul. VIII.
 A. C. 790.

c. 16.
 Libri Caro-
 lini.

c. 17.

Conc. 7. Aſſ.
 3. p. 187.
 p. 725.

c. 24.

Hist. Eccles. Tom. X.

Ll

quod

Sæcul. VIII.
A.C. 790.
c. 30. quod Reliquiæ Sanctorum honorentur, non sequi, etiam imaginibus ipsorum honorem exhibendum esse; sed ad id probandum nihil solidi affert. Patribus Nicenis objicit, quod argumenta sua ex Libris apocryphis & fabulis petierint; verum speciatim paucissima carpit. Non nulla autem argumenta sensu Scripturæ detorto a Nicenis allata non imperite refellit.

Lib. IV.
c. 28. Tandem hoc Concilium Græcorum non posse dici universale contendit, quod nec ex omnibus Ecclesiæ Provinciis fuisset convocatum, nec ejus Decreta Doctrinæ Ecclesiæ universalis essent consentanea, quamvis fateatur, Concilium ex aliquot Provinciis congregatum pro universali haberi posse, si ejus Doctrina Catholica sit. His nempe duobus argumentis Franci Synodum Nicenam rejicientes nitentur, quod ex toto Occidente nemo nisi Papæ Legati adfuerint, & quod Synodi Decretum ipsorum consuetudini adversaretur. Epilogus ad Papam & Ecclesiam Romanam dirigitur in hunc modum: *Scitote, quod secundum S. Gregorii litteras ad Serenum Imagines fieri, & tam intra quam extra Ecclesiam collocari concedamus ex amore Dei & Sanctorum ejus. Verum nolentes ad eas adorandas non compellimus, nec tamen eas*

c. ult.

confringi & destrui permittimus. (*) Sæcul. VIII.
A. C. 790.
Ceterum ex toto hoc Tractatu apparet, Francos præpostero affectu adversus Græcos fuisse occupatos. Nam in multis vix ullius momenti articulis tricantur, aspera ingerunt, sophismata atque argumenta ad rem non facientia adhibent.

§. XLVIII.

Nuptiæ Constantini & Mariæ.

Porro aliunde constat, Carolo Regi causam non defuisse, cur Ireni Imperatrici irasceretur; cum enim illa jam anno septingentesimo octogesimo secundo Theoph. an.
2. p. 384. misisset, qui a Carolo Rotrudem ejus filiam Constantino juveni nuptui dandam expeterent, & apud eam remanere Id. an. 9.
p. 391. jussisset Evnuchum, qui puellam ad linguam & mores Græcorum informaret, nihilominus post spatium sex annorum fœdera violavit, & non obstante amore,

LI 2 quem

(*) Lenius hic loquuntur Francorum Episcopi, & ad veritatem accedunt; nam nec Ecclesiæ Catholicæ mens est Christianos compellere ad singularem huic vel illi Imagini cultum exhibendum, est tamen præceptum negativum nec Imagines nec eorum Cultores laceßendi. Ceterum, ut infra videbimus, his Libris Carolinis respondit, data ad Carolum Regem epistola, Hadrianus Pontifex, cujus lenitas & prudentia Schisma declinavit.